1 Druides a bello abesse consuerunt neque tributa una cum reliquis pendunt; militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem.

2 Tantis excitati praemiis et sua sponte multi in disciplinam conveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur.

3 (Magnum ibi numerum versuum ediscere) dicuntur. Itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent.

4 Neque fas esse existimant ea litteris mandare,

cum in reliquis fere rebus,

publicis privatisque rationibus Graecis litteris utantur.